
JOANNIS

COMMIRII

E SOC. JESU

HYMNI SACRI.









HYMNI
IN S. MARTINUM
TURONENSEM EPISCOPUM

Ad singulos ejus Festivitatum dies compositi.

DIE FESTO TRANSITUS, & per Octavam.

11. Novemb.

HYMNUS I.



OLENNE poscit Canticum
Festiva MARTINI dies.
Cantemus : in Regis decus
Cedunt honores militis.
Nam, CHRISTE, munus est tuum,
Quòd ille tantus extitit;
Ipsisque [a] par Apostolis
Tot claruit miraculis.
Parent [b] egeno Cæsares,
Tremunt inermem barbari,

[a] Sulp. Severus, Odo Clun.
[b] Valentinianus Imp. &c.

Verbo fugantur dæmones,
Mors victa leges accipit.
Illo monente, Gallia
Fregit deos quos fecerat:
Jovisque fulmen despuens
Vero Tonanti serviit.
Nunc urbibus cunctis, Turo,
Hoc invidenda Præsule,
Testare lætis plausibus
Cælo Beatum vivere.
Sit Trinitati gloria,
Cujus fidem, tres mortuos
MARTINUS Orco retrahens,
Miris modis confessus est.

HYMNUS II.

COGI [a] piget, sub Cæsaris
Vexilla, Christi militem:
Plus laureis victricibus
Juvat Crucis ludibrium.
Pius, pudicus, temperans,
Spernens opes, & gloriam,
In criminum licentia
Conservat innocentiam.
Brumæ [b] furenti sidere,
Durata quo stant flumina,
Artus rigent; sed cor sacri
Flammis amoris æstuat.
Quæ sola restabat chlamys,
Hanc ense stricto dividit;

a Martinus Sabariæ Pannoniarum an. 316. natus, prodente patre miles factus est an. 332. *Baronius.* an. 326. inter Catechumenos fuerat adscriptus.

b In porta Ambianensium civitatis. postea ad Baptismum convolavit. *Sulp. Sev. in ejus vita.*

Lætus, tegendo pauperem,
Vestisse Regem cælitum.
In hac triumphans púrpura
Se Christus ostentat suis:
Munusque MARTINI polo,
Ingens tropæum, devehit.
Sit Trinitati gloria,
Cujus fides est gratia,
Confessioque sanctitas,
Et visio felicitas.

HYMNUS III.

PACEM [a] precantur barbari,
MARTINE, ceu prædixeras:
Nulloque tinctam sanguine
Cedunt tibi victoriam.
I sancte mundi transfuga,
Profana castra desere:
Dati memorque nominis,
Soli Deo nunc milita.
Sub Pictonum pio duce,
Disces Arium vincere;
Plagasque temnens ac necem,
Christi decus defendere.
At, [b] quà licet, cultu Jovis
Veta parentes immori.
Si contumax perit pater,
Matris saluti consules.

a Anno 356. apud Vangionum civitatem (*Vormes*) cùm missionem peteret, servatur barbaris, qui in Gallias irruebant, inermis objiciendus. Hi postera die Juliano Cæsari sese dedunt. Ille militiâ solutus Pictavum se confert ad S. Hilarium. *Sulp. Sev.*

b Nec multò pòst Pannoniam repetit, ut patriam parentesque à gentilitatis absolvat errore. *Sulp. Sev.*

Sit Trinitati gloria,
Divina cujus gratia
Reis remittit crimina,
Justis rependit præmia.

HYMNUS IV.

PERFUSUS ora lacrimis [a]
MARTINUS astra suspicit:
Et in beato patriæ
Defixus obtutu gemit.
O mors, ait, quid tamdiu
Differs levare vincula!
Amore Christi saucium
Privare vitâ munus est.
Quid tu minaci gutture,
Draco cruente, sibilas?
Redi sub umbras Tartari:
Me lucis aula devocat.
Et vos, flagrans quos caritas
Mihi dat esse filios,
Fletu molesto parcite
Tardare patris gaudia.
Quòd si tamen nostros adhuc
Orbis labores exigit:
Jam lauream prensans manu,
Reddar libenter prælio.
Sic fortis, & suppar sibi,
MARTINUS usque perstitit,
Nec pro Deo timens mori,
Sed nec recusans vivere.

a In Condatensi Diœcesis suæ vico, febre extinguitur an. Christi 397. ætatis 81. Episcopatus sui 26. mensibus 4. die 8. Novembris. Corpus ejus Turonos relatum sepelitur in Polyandrio publico, 550. ab urbe passibus. *Greg. Turon. Alcuinus.*

Honor tibi sit Trinitas,
Quæ visa servulos beas:
Tuâ repletos gratiâ
Donans potiri gloriâ.

HYMNUS V.

NON opum, Christi pugilem, cupido,
Non honor tangit: calicemque frustra
Porrigit, dulci malè temperatum
Felle, voluptas.
Sunt [a] domus rupes, lapides cubile;
Fons sitis, furfur famis est levamen:
Tegmen hirsutum lacerat caducos,
Non fovet artus.
Sic sui fortis domitor phalanges
Proterit longo Stygias duello:
Terque de victa spolium reportans
Morte triumphat.
Arbitro [b] belli sua fabulosus
Templa Mars cedit. neque jam Tonanti
Debitas vero tenet impudicus
Juppiter aras.
Sub jugum Christi populos volentes
Blanda vis cogit. Pudor est, jubentis
Cuncta dum parent elementa voci,
Esse rebelles.
Fac, Dei proles Deus, ut fideli
Illius ductum studio sequamur,
Et mori fortes, docilesque vitæ
Ferre laborem.
Spiritus laudent Triadem beati;
Thure mortales celebrent & hymnis:

a Episcopus cùm esset, Monasterium duobus extra civitatem millibus, quod Majus vocatur, sibi statuit. *Sulp. Sev.*
b Apostoli per Galliam munere fungitur. *Sulp. Sev.*

Ipſius laudi quoque gens opaci
Serviat Orci.

DIE FESTO TRANSLATIONIS

Corporis B. Martini, quo die, & per Octavam, ejus in Epiſcopum Turon. ordinatio, & Baſilicæ dedicatio celebrantur.

4 *Julii.*

HYMNUS I.

ERGO relliquias Præſulis inclyti
Ceſpes vilis habet? Corpora Tartari
Cùm devota rogis pyramides tegant,
MARTINO tumulus deeſt!
Non [a] hoc Perpetui relligio ferat,
Impenſis operum parcere neſcii:
Non fulvæ rutilas jungere laminæ
Gemmas [b] Eligius ſciens.
At non, ſi niteat marmore candido
Delubrum Solymis arcibus æmulum,
Turritumque caput nubibus inſerat,
Tanto par erit hoſpiti.
Si gazas Arabum, ſi Phrygias opes,
Et baccas, ſpolium divitis Indiæ,
Includas loculo, non tamen hic ſatis
Cæleſtem deceat virum.

a S. Perpetuus Turonenſis Epiſcopus ſublatâ veteri, ingentem S. Martini nomine Baſilicam dedicat, in eamque transfert B. corpus 4. Nonas Julii an. Chriſti 472. *Greg. Sigebert.*

b S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus Dagoberto Francorum Rege impenſas præbente, pretioſiſſimam Thecam confecit 7. Eccleſiæ ſæculo. *S. Audoënus in vita S. Eligii.*

Illi ſola Dei regia ſufficit :
Juſtos unde preces, votaque ſupplicum
Exaudit facilis. Spes quoque vincere
Ultro muneribus ſtudet.
Noſtris, SANCTE, procul finibus exige
Peſtes atque famem, bellaque triſtia ;
Et quidquid prohibet vivere liberos
Caſtæ pacis in otio.
Æterno ſit honos perpetuus Patri :
Sit par bis genito gloria Filio :
Sancto laus parilis Spiritui ſonet,
Sæclis omnibus ac locis.

HYMNUS II.

FRUSTRA latebras expetis,
MARTINE, Sol neſcit tegi.
Tibine vivas unicè
Natus ſaluti gentium ?
En tota paſſim Gallia
Sacris profanis deditur :
Turoque diris undique
Obſeſſa monſtris ingemit.
Ergo [a] pedum manu cape,
Lupos Averni diſſipa ;
Oveſque paſtor devias
Cæli reduc in paſcua.
Per ſaxa dumis horrida,
Per alta quære montium,
Ægras leva, fer debiles,
Vitæ redona mortuas.
Pro credito tibi grege
Quid non laboris perferes ?
Totum paratus ſanguinem
Ejus ſaluti fundere.

[a] Epiſcopus conſecratur an. 371. *Greg. Turon.*

Jugis tibi ſit gloria,
Mundi creatrix Trinitas:
Quæ te tuis Præconibus
Cælo fruendam detegis.


HYMNUS III.

Qui & die feſto Tranſlationis Capitis B. Martini canendus.

MARTINI cineres, oſſaque Tartaro
Formidata, coli feſta jubet dies.
Fumet thuribulis Aſſyrius vapor,
Lætis æra ſtrepant ſonis.
Cives ite boni; depoſito metu,
Sacris relliquiis oſcula figite:
Exornate novis fercula floribus,
Caſtis ſpargite lacrimis.
Accedant, mala quos ulcera, quos febres,
Morborumque cohors, funere triſtius,
In luctu ſubigunt, inque doloribus,
Ævum ducere languidos.
Felici melior jam feretro ſalus
Membris adveniet. vitaque, viribus
Naturæ domitis, è tumuli ſinu
Se mirabitur egredi.
Dulces exuviæ, præſidium piis
Quas Chriſtus populis, & decus addidit:
Ergo ſacrilegis hæreticus [a] furor
Prædam vos dabit ignibus?

[a] Patratum fuit hoc ſcelus 8. Calendas Junii Carolo IX. Rege, anno ſalutis M. D. LXII. *ſic Epigraphe appoſita in dextro latere Eccl. S. Martini Turon.*

Sed nil impietas barbara promoves.
Martino rabie crescit honos tuâ.
Vivo defuerat laurea Martyris,
Illam mortuus obtinet.
Æternus sit honos ingenito Patri :
Proli bis genitæ par quoque sit decus :
Nec divine tibi, Spiritus, omnibus
Desit gloria sæculis.



DIE FESTO SUBVENTIONIS


B. Martini, cùm Turo ab Hastingo Danorum Duce obsessa, S. Præsulis ope liberata est.

12. Maii.

Gallicæ gentis pater atque custos,
Flammeis virtus super astra pennis
Quem tulit; vultu placido clientum
Annue votis.
Festa lux, prisci memores triumphi,
Ad tuam pigros vetat esse laudem;
Cùm Deo per te Turo salva gestit
Solvere grates.
Patria Danus veniens ab Arcto,
Urbis ad muros tibi dedicatæ
Barbarus, præda stimulante, sævis
Stabat in armis.
Non minax vallum, fluviusque latis
Innatans fossis, mora sunt furori.
Pugnat incassum numero coacta
Cedere virtus.
Jam ferus summas tenet hostis arces:
Nulla spes victis, pavidumque vulgus

Ante resperſas lacrimis, Patronum
Invocat, aras.
Supplices audis : Geticaſque vindex
E triumphali a feretro catervas
Manibus pellis procul, & ſuperbo
Cum duce frangis.
Hinc honor campis, ubi ſacra tanti
Fert domus nomen, titulumque b Belli,
Te, tot in damnis, vicibuſque rerum,
Præſide tuta.
Laus Patri rerum domino perennis :
Par decus Nato, Patre non minori :
Æquus amborum ſit honos Amori,
Omne per ævum.

a Capſa & Corpus B. Martini mænibus impoſita.
b Gallicè *S. Martin le Beau.* Ibi Haſtingus cum copiis deletus eſt.



DIE FESTO REVERSIONIS

Corporis B. Martini è Burgundia.

13. *Decemb.*

HYMNUS I.

MARTINI reditu pſallite Virgines,
Votivum pueri dicite canticum.
MARTINUM reducem tinnula nuncient
Feſtis æra ſonoribus.
Burgundis procul hinc finibus exulem
Nunc tandem lacrimis urbs revocat piis.
Pompæ magna ſacræ pars Comes a inclytus,
Gratum pondus ovans ſubit.

a Ingelgerius Comes Andegavenſis corpus B. Martini Autiſſiodoro retulit. *Odo Cluniac.*

Arcæ par loculus mirificæ, ſuum
Latè prodigiis ſignat iter novis.
Bruma ver media floret, & induit
Sertis arva nitentibus.
Accenſæ ſubito lumine lampades
Produnt inſolitis gaudia motibus.
Morbi diffugiunt : ſe quoque ſanitas
Vel nolentibus ingerit.
Turpi pauperies quos alit otio,
Et lucroſa fovent ulcera deſides,
Sanari metuunt : ſed refugos ſalus
Deteſtata præoccupat.
Votis ſolliciti nos melioribus,
Imploramus opem, ſancte Pater, tuam.
Exaudiſque bonus : nec finis irritas
Spes vaneſcere ſupplicum.
His pro muneribus perpetuas decet
Divinæ Triadi reddere gratias :
Triplex quam meritis mundus honoribus
Numquam tollere deſinit.

HYMNVS II.

CUR in remotis tamdiu,
MARTINE, terris exulas.
Redi : tuaque recrea
Mæſtas oves præſentiâ
Qui te fugavit [a] Barbarus
Jam ſponte victus ſupplicat :
Plenuſque Chriſti numine,
Huic bella ſoli ſuſcipit.
Redi : Turo florum parens
Tibi roſas & lilia,
Tibi coronas lenibus
Aptas triumphis deſtinat.

[a] Rollo Normannorum Dux Chriſtianus jam factus.

Venis. adesse sentiunt
Levata morbis corpora.
Lætos & adventus tui
Miracla cives admonent.
O ut beatum dulcibus
Pignus salutant osculis!
Pias eunt in lacrimas
Soluta corda gaudio.
Fac, SANCTE, nobis hunc diem
Semper venire prosperum,
Tuoque da sub nomine
Feliciter quiescere.
Sit Trinitati gloria:
Quæ, quos abegit patriâ
Gentile crimen exules,
Reponit inter Cælites.



DIE FESTO TRANSLATIONIS

Capitis B. Martini è sepulcro in vas aureum, an. 1323. annuente Joanne XXII. Sum. Pont. postulante, ac præsente Carolo Pulcro Rege.

1. Decemb.

FELIX Sepulcrum, quo salus
Et vita mundo profluunt:
Quousque nobis invida
Sub nocte MARTINUM teges?
Ni, sponte laxato sinu,
Das ejus aspectu frui:
Votis favens ferrum piis
Perrumpet obstantes moras.

Audimur : è busto caput
Præsul beatus extulit :
Solemque Sole clarior
Majore vincit lumine.
Curvate colla, Principes :
Tibique, Rex, ne sit pudor
Illius ad vestigia
Insigne regni ponere.
Hic est Patronus Galliæ,
Francique tutor Imperî,
Quo protegente Lilia
Florere nunquam desinent.
At vos, Ministri Numinis,
Offerte pacis victimam :
Et pro recepto munere
Grates ad aram solvite.
Sit Trinitati gloria,
Sermonibus quam vindicans
MARTINUS & miraculis,
Adeptus est in præmium.





IN

SANCTUM GILDARDUM

Rotomagensem Archiepiscopum.

HYMNUS I.

SOl diem festum populis reduxit
Quo Stygis victor, domitaque felix
Morte GILDARDUS superas triumphum
Egit in arces.
Ille majorum titulos, & aulæ
Divitem pompam generosiore
Ambitu fugit, pretiosa Christi
Probra secutus.
Corpus & duro tenerum cubili
Et fame vexans, Cilicumque setis
Tristibus, blanda sibi ne noceret
Peste voluptas.
Ingenî dotes pius, & disertæ
Copiam linguæ, calamumque cæli
Melle rorantem, Domini tuenda
Lege sacravit.
Senseras vocis, CLODOVÆE, pondus,
Cùm Deos calcans, & avita sacra,
Mille curvasti rutilam coronis
Sub Cruce frontem.
Tuque, quam cura propiore servat,
Neustriæ Mater: quoties probasti,
Perditis jamjam peritura rebus,
Numen amicum?

Ergo Paſtori meritum rependit
Grex memor cultum, duce quo beatos
Sperat æternùm dominantis Agni
Cernere vultus.
Laus Patri rerum domino perennis:
Par decus Nato Patre non minori:
Æquus amborum ſit honos Amori
Omne per ævum.

HYMNUS II.

O Neuſtriæ clarum caput,
Amata cælo civitas
Paſtore GILDARDO, licet
Cunctis eas ſuperbior.
Præſaga veri ſomnia
Quem nunciaverunt patri,
Micantis inſtar ſideris,
Lucem daturum gentibus.
Vitæ ſub ipſo liminé
Jam ſanctitatis indices,
Mirante mundo, præbuit
Geſtu notas & moribus.
In corpus aſper innocens
Pio rigore ſæviit.
Inſomniis, fame, ſiti,
Nutrita floret caſtitas.
Fruſtra nitor fallax opum,
Aulæque lubricus favor,
Certant movere pectora,
Scuto Fides quæ protegit
Victor Stygis, victor ſui,
Chriſti triumphatos jugo,
Cultu relicto Numinum,
Cum Rege Francos ſubjicit.

Fons vive rerum Trinitas,
Quæ visa GILDARDUM beas,
Perennibus te sæculis
Dona fruendam servulis.

HYMNUS III.

NE flete, cives, ne Deum
Urgete mæstis questibus.
Pastoris amissi vices
Alter subit præstantior :
Cura fideli qui gregem
In læta ducat pascua,
Longeque raptores lupos
Avertat ex ovilibus.
Exempla verbis prævia
Hortantur efficaciùs.
Quà sanctus Antistes præit
Plebem puderet non sequi.
Justis bonus, clemens reis,
Cunctisque factus omnia,
Illis piandis victimam
Præbere se non abnuit.
O digna palmis caritas!
Cruenta mors si defuit,
Non defuere præmia:
Fecit voluntas Martyrem.
Fons vive rerum Trinitas,
Quæ visa GILDARDUM beas,
Perennibus te sæculis
Dona fruendam servulis.





IN

SANCTUM PERFECTUM,

Martyrem Cordubensem.

HYMNUS.

FELICI celebrem nominis omine
PERFECTUM canimus. Corduba, fer tuo
Flores indigeti: plaudite, Cælites,
Vestri Civis honoribus:
Qui molles fugiens delicias puer,
Claustri militiæ se dedit asperæ,
ACISCLOQUE tulit sub duce nobilem
Victa de Styge lauream.
Hic cælestis opes dum Sapientiæ
Immensas avido pectore colligit,
Aris rite sacris additur, hostiam
Dignus ferre Deo Deum.
Gentis perfidiam nec Mahumedicæ
Verbis & calamo frangere destitit:
Audax pro patriis relligionibus
Quidvis & facere & pati.
Frustra, Maure ferox, vincula Martyri,
Frustra mille cruces, mille rogos paras.
Quot plagis aperis viscera, tot vias
Illi pandis ad æthera.
Æternus sit honos ingenito Patri:
Sit par unigenæ gloria Filio:
Sanctæ Cor Triadis personet omnibus
Cæli regia sæculis.






IN SANCTAM URSULAM, ET SOCIAS VIRGINES ET MARTYRES.

HYMNUS.

SI quid virginitas, & bene prodigum
Vitæ martyrium vos movet; URSULAM
Clara voce ducem dicite Virginum:
Matrem dicite Martyrum.
Quam Regum veteri ſtemmate nobilem;
Regalis thalamos dum peteret proci,
Felix naufragium ſub melioribus
Junxit auſpiciis Deo.
Terras Armoricæ jam prope tangere
Dotales poterat, cùm ſubitus rates
Turbo disjiciens, verſus inhoſpita
Rheni reppulit oſtia.
Prædæ certus adeſt, ac vetita face
Obſcænus Scythiæ miles inæſtuat,
Et de claſſe ſibi barbarus unica
Promittit ſpolium duplex.
Captivuſne decor, & dominos tremens
Ullo vim redimet munere Caſtitas?
Ni divinus Amor, doctaque vincere
Mundum ſubveniat Fides.
Turpes blanditias horret amantium,
Contemnit furias tela minantium:
Vincit morte ſua flagitio cohors
Vitam quærere neſcia,

O felix tua fors, URSULA! Virginum
Quot tecum pelago millia duxeras,
Tot, cæli fuperas ingrediens domos,
Ducis millia Martyrum.
CHRISTI, mixta rofis lilia quem juvant,
Et multo rutilæ fanguine laureæ,
Puræ pura capant ofcula Virgines,
Laudent vulnera Martyres
Æternus fit honos ingenito Patri:
Sit par unigenæ gloria filio:
Sanctæ Cor Triadis perfonet omnibus
Cæli regia fæculis.






IN SS. LIBERATUM, AMANDUM, VICTOREM, ET COLUMBAM, MARTYRES.

HYMNUS.

FELIX quadriga Martyrum,
Quæ purpurata sanguine
Gaudes, triumpho nobili,
Portare Regem Cælitum.
  Si quid Dei jam compotes
Tangit salus clientium,
Audite quas fundunt preces
Ad vestra proni corpora.
  Amoris ô dudum sacri
Mactata telo victima,
AMANDE, quàm tecum juvet
Mori beato vulnere!

Tu Liberate, qui jugo
Mortalitatis liber es,
Nobis supernæ protinus
Jus civitatis impetra.
Tu, cui tuum victoriæ
Nomen fuit præsagium,
Fac, Victor, ut palmas quoque
Victis feramus hostibus.
Dignata virginalibus
Cælestis Agni nuptiis,
Columba, cæli dextero
Monstra volatu semitam.
Sit Trinitati gloria,
Quæ quos replevit gratiâ,
Suosque fecit milites,
Coronat inter Martyres.



IN


SANCTAM SATURNINAM,

Virginem & Martyrem.

HYMNUS.

NAM quò præcipitas immemor heu! tui,
Saturnina, gradum? Matris ab ubere
Vix depulsa, frui luce data negas,
Et serò metuis mori.
Non hæc membra feræ sufficiunt neci.
Deerit carnifici, quem feriat, locus:
Et cultros niveo pectore profluens
Lac plus quàm cruor imbuet.

Sed te cogit amor virginis in thorum
Sponsi per gladios ire, per & rogos,
Et quà purpurea signat iter cruce,
Hunc gaudens properas sequi.
I felix : tenero corpore non diu
Pœnas ferre potes ; vincere sed potes.
Tantò purior & gratior hostia,
Quantò temporiùs cadis.
Æterno sit honos perpetuus Patri :
Sit par bis genito gloria Filio :
Sancto laus similis Spiritui sonet
Sæclis omnibus ac locis.



IN

SANCTUM AUGUSTINUM

Hipponensem Episcopum.

HYMNUS I.

CUR erubescis, Africa,
Tot esse monstrorum parens ?
Absterget hanc unum tibi
Infamiam miraculum.
Sol ortus à meridie,
Per te venit mortalibus ?
Fulgore qui quondam suo
Orci tenebras dissipet.
Surgentis astri lumine
Uterque clarescet polus ;
Et vim benignam sentiens
Huic thura mundus offeret.

O ter beati! prævia
Queis lampas AUGUSTINUS eſt,
Vago deerrent ne pede
Per ſæculi caliginem.
Rerum Creatori ſonent
Hymnum perennem Cælites:
Qui caſtitatem MONICÆ
Tali beavit filio.

HYMNUS II.

IS ergo deſertor Dei,
Is caſtitatis transfuga,
Preſſus jugo cupidinis
Qui ſervit, AUGUSTINUS eſt!
Timete quæ ſtatis polo
Minora caſum Sidera:
Sol iſte, plus æquo ſibi
Confiſus, umbris mergitur.
Quid ingenî divina vis,
Facundiæque profuit?
Quid liberali quas opes
Natura congeſſit manu?
In crimen, in pœnas ſuas
Hæc dona vertit inſolens,
Vanamque per ſcientiam
Neſcire doctus eſt Deum.
Tu CHRISTE, vultu reſpice
Ovem benigno deviam:
Et nos Beatorum gregi
Per cuncta junge ſæcula.



HYMNUS III.

JAM parce luctu, MONICA,
Stabit fides oraculi:
Perire non umquam potest
Tot lacrimarum filius.
Quem parturisti tamdiu,
Casto gemens sub pectore;
Bis mater hunc nasci Deo
Feliciùs lætaberis.
Sit Trinitati gloria
Quæ MONICÆ suspiria
Et lacrimas exaudiit,
Natoque vitam reddidit.

HYMNUS IV.

TANDEM! rebellis pectoris
Victrix triumphat Gratia,
Ultroque captivus jugum
AURELIUS gestit pati.
O grata CHRISTI servitus!
Quæ nos ab Orco vindicans,
Et liberos verè facit,
Cæloque cives asserit.
Da, Liberator unice,
Vinclis solutis criminum,
Carnisque fracto carcere,
Regno Patris succedere.



HYMNUS V.

CURIS procul mortalium
Et sæculi tumultibus,
Negotioso destinàs
In otio quiescere.
Opem tuam sed postulat
Periclitans Ecclesia,
Et vindicem te Gratia
Suos in hostes evocat.
Fac, ô Pater, Deum prece
Nobis tua placabilem:
Qui sanctitatis te dedit
Suis Ministrum servulis.

HYMNUS VI.

AURELIUS linguâ tonat,
Et ore vibrat fulgura:
Stiloque non parcit gravi
Urgere gentem perfidam.
Quos schismatis, vel hæresis
Armavit in CHRISTUM furor,
Cælestis omnes eloquî
Virtute fractos proterit.
Æterna, JESU, Veritas,
Ardensque semper Caritas,
Ecclesiæ fac in fide
Servemus ut concordiam.




HYMNUS VII.

RUENTIS, AUGUSTINE, fles
Heu ! triste fatum patriæ,
Et Numen iratum piis
Lenire tentas lacrimis.
Frustra. Subire Vandali
Crudele damnatur jugum :
Ut quæ Deo non serviit,
Servire discat barbaris.
Hipponis haud tamen tui
Mærens videbis funera :
Ab hoste nam diro nefas
Urbem capi, cui præsides.
Ergo parato fulmini
Da morte felici locum :
Pœnisque dimittens reos,
Ad certa curre præmia.
Sit Trinitati gloria,
Quæ fata mundi temperat,
Solo rebelles atterens,
Cælo fideles inserens.

HYMNUS VIII.

NUNC ex Olympi vertice
Felicitatis jam satur,
Deoque plenus, ô Pater,
Nostros labores aspicis.
Oves tuas, Pastor, rege,
Rudes, Magister, edoce :
Servos Patronus protege,
Sanctosque Sanctus effice.

Laus, qui creavit te, Patri,
Et qui redemit, Filio,
Cum Spiritu, qui te suo
Replet, beatque numine.



IN SANCTAM URSULAM ET SOCIAS VIRGINES ET MARTYRES.

HYMNUS I.

QUÆ turba nuptialibus
Permulcet aures canticis,
Testes pudoris integri
Cum liliis ferens rosas?
Agnosco Sponsas Virgines,
Quæ, si sua negabitur
Augere prole Galliam,
Cælum replebunt civibus.
Ut Luna flammas siderum
Inter minores emicat:
Sodalibus sic URSULA
Cunctis præit formosior.
Et illa regali quidem
Proco petita ducitur:
Sed dignioris in thorum
Meretur ire conjugis.
Fons sanctitatis Trinitas,
Te deprecamur supplices,
Nos URSULÆ consortio
Ut des beato perfrui.

HYMNUS II.

PORTUM refixis anchoris
Pinus ovantes deſerunt:
Tellus fugit, ſub palmulis
Sulcata canent æquora.
Mæſto parentes quà licet
Viſu ſequuntur pignora:
Votiſque flentes anxiis
Curſus precantur proſperos.
At-ecce cum magno ruens
Fragore tempeſtas furit:
Cæciſque quaſſas fluctibus
Differt in incertum rates.
Nautis metu pallentibus,
Secura perſtas, URSULA:
Et turbidi maris minas
Affixa cælo deſpicis.
Nos, arbiter ponti Deus,
Hujus per undas ſæculi
Ducente donet URSULA
Lætos polum contingere.

HYMNUS III.

TAMDEM redit ſerenitas,
Ventique miteſcit furor:
Sed majus à portu venit
In naufragas periculum.
Inhoſpitali litore
Crudelis Hunnus excubat,
Et morte pejus inſolens
In Virgines parat nefas.

Averte, Proles Virginis,
Sponsis tuis ludibrium,
Et pura puris mentibus
Fac nos tueri corpora.

HYMNUS IV.

MILES decorum barbarus
Ut vidit agmen, restitit:
Prædæque captivus suæ,
Ex hoste factus est amans.
Cur ponitis vultus truces?
Cur arma dextris excidunt?
Horrent amari Virgines:
Plus vester iis furor placet.
Qui debilem turbam, Deus,
Flammis novis accenderas,
Fac nostra puris ignibus
Ardere pro te pectora.

HYMNUS V.

QUOT fregit uno Castitas
Inermis hostes prælio!
Quot impiis de barbaris
Fides tropæa rettulit!
Non illecebris blandiens
Mentes voluptas molliit:
Non sæviens crudelitas
Præsente leto terruit.
Sic, CHRISTE, quos tuo reples
Amore, fortes efficis.
Da cordibus nostris quoque
Pellat timorem caritas.



HYMNUS VI.


IO! triumphat URSULA,
Victrixque carnis & Stygis,
Quam præferebat nomine
Lauro revinxit tempora.
O mors beata! proprio
Quæ consecravit sanguine
Tot castitatis hostias
Et caritatis victimas.
Laus tibi sit, Rex Virginum,
Laus tibi sit, Dux Martyrum,
Mundans amore Virgines,
Ungens cruore Martyres.

HYMNUS VII.

I, debitas cæli pete,
Cohors triumphalis, domos,
Terrasque viles deserens
Æterna regna posside.
Et tu caduci non bene
Thoro dicata Principis:
Addisce jam castis frui
Regnantis Agni núptiis.
Olim tuo de nomine
Gens sancta surget, fœdera
Quæ respuens connubii,
Æquabitur Cælestibus.
Ergo memento cum Patre
Placare nobis Filium:
Nec parce Sancti Spiritus
Efflagitare munera.

HYMNUS VIII.

NUNC, ô Beatæ, supplicum
Piis favete cantibus,
Rosasque mixtas liliis,
Pudica dona, sumite.
Seu nos clientes dicere,
Seu, quod sumus, servos placet,
Sit in clientes caritas,
Servi patronas sentiant.
JESU Deo sit gloria,
Qui dum triumphos URSULÆ
Sodaliumque dicimus,
Ad æmulandum provocat.



IN SANCTUM NICASIUM, ROTOMAGENSEM EPISCOPUM ET MARTYREM.

HYMNUS I.

CLARAM NICASII martyrio diem
Exultans celebrat Cælituum chorus:
Et nos lætitiam, quà licet, æmulis
Promamus quoque canticis.
CLEMENTIS monitu, non sine numine,
Linquens Italiam, limite Galliæ
Extremo positis gentibus aureum
Invexit Fidei jubar.

Umbrarum tumidus scilicet arbiter,
Mortales miseros nocte gravi premens,
Omne præcipites egerat in nefas.
Credi sic meruit Deus.
Ut signum rutilat mirificæ Crucis,
Orci diffugiunt monstra paventia:
Panchæisque coli sueta vaporibus,
Ad pœnas redeunt suas.
Jam rerum domino Neustria serviens,
Dignis obsequium præstat honoribus.
Jam, sub NICASIO, Rotomagi levat
Victrix relligio caput.
Nequicquam furiis percitus impios,
Fescenni, gladios stringis; & horridæ,
Exterrere paras, mortis imagine,
Vitæ prodiga pectora.
Quantò plus feritas barbara sæviet,
Tantò se pietas efferet altiùs.
Fiet, de laceris Martyribus fluens,
Semen Christiadum, cruor.
Divinæ Triadis terra, polus, mare,
Non fictis resonent undique laudibus:
Quæ palmis decorat perpetuis necem
Pro se, non timidos pati.

HYMNUS II.

QUò vos terror agit? state coloni,
Serpentem, vacuis qui furit arvis,
Christi NICASIUS nomine fidens,
Armatusque Crucis robore, vincet.
Sancti Pontificis, cernite, palmas
Ut rictu placido lambere gestit!
Ut molli tremulæ verbere caudæ
Blanditus, recipit vincula collo!

Jam non inficiet peſtifer amnes :
Non uret calidis flatibus herbam :
Non carpens rabido corpora morſu,
Tetris interimet ſparſa venenis.
En nullo periit ſaucius ictu,
Vis eſt tanta ſacris addita verbis !
Securi per agros ite coloni :
Puri grata dabunt pocula fontes.
At tu, qui Stygium, CHRISTE, Draconem
Extinxiſſe tuo ſanguine gaudes ;
Purga quod ſupereſt peſtis avitæ,
Et triſti famulos eripe leto.
Sic, quacumque patet maximus orbis,
Te mortale genus ſemper adoret.
Sic, Patri ſocio junctus amore,
Vivas, cunctaque per ſæcula regnes.

HYMNUS III.

CLARE Martyr, ſancte Præſul,
Neuſtriæ fiducia,
NICASI, prona clientum
Aure voces excipe :
Qui pio tibi dicatum
Carmen ore concinunt.
Patriam, Deo monente,
Exul ultro deſerens,
Obrutas gentes tenebris
Lumen ad verum vocas.
Crux triumphat, éque templis
Vana pellit numina.
Præſes hanc Chriſto profanus
Invidet victoriam :
Ultor & Jovis, cruenta
Morte damnat Præſulem :

Nobilem cælo coronam
Sic parari nesciens.
Mira res! caput recisum
Ferre Martyr cernitur.
Flumen obvios eunti
Sponte pandit gurgites.
Cælitumque structa curâ
Corpus ædes excipit.
Ite plebes, & beato
Consecratum pignore,
Ferte flores ad sepulcrum;
Thus, faces, incendite.
Tantuli vobis redibit
Magna merces muneris.
Sempiterna sit Parenti
Sempiterno gloria:
Cultus æquævo perennis
Deferatur Filio:
Utriusque par Amori
Laus sonet per sæcula. Amen.

PARISIIS,
E Typographia GABRIELIS MARTINI,
viâ Jacobæâ, sub Sole aureo.

M. DC. LXXXIX.

Mc